

IN OBITUM HEINRICI II.

1. Lamentemur nostra,
Socii, peccata,
Lamentemur, [et ploremus!]
Quare tacemus?
Pro iniquitate
Corruimus late,
Scimus coeli hinc offensum
Regem immensum.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

2. Non fuimus digni
Munere insigni:
Munus discite sive donum
Heinricum bonum,
Qui ex juventute
Magnae fuit vitae,
Procreatus regum stirpe
Rexit et ipse.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

3. Orbis erat pignus,
Regno fuit dignus
Imperator Romanorum,
Rector Francorum,
Imperavit Suevis,
Saxonibus cunctis,

2, 3. 4 munus sive donum diue H. b.

Bavaros truces[que] Sclavos
Fecit pacatos.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

4. Possumus mirari
De domino tali,
Res tractando laicatus
Fit litteratus,
Prudens in sermone,
Providus opere,
Viduarum tutor bonus
Orphanis pius.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

5. Heinricus secundus,
Plangat illum mundus.
Fide[le]s servans Christianos
Pellit Paganos,
Stravit adversantes,
Pacem persequentes;
Voluntati contradixit,
Sobrie vixit.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

6. Quis caesar tam largus
Fuit pauperibus?
Quis tam loca sublimavit
Atque dicavit
Atria sanctorum
Ubere bonorum?
Ex propriis fecit magnum
Episcopatum.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

3, 7 truces sola uos

4, 3 Sit

5, 3 Fides, Eccard besserte Fines.

6, 7 fecit magnavit

7. Ploret hunc Europa
Jam decapitata!
Advocatum Roma ploret,
Christum exoret,
Ut sibi fidelem
Praestet seniozem,
Et cognoscat grave damnum
Ecclesiarum.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

8. Dicamus Heinrico
Domini amico,
Ut requiescat post obitum
Semper in aevum.
Dicat omnis clerus
Animae illius:
Pace Christi [re]quiescat,
Gaudia noscat.

Heinrico requiem rex Christe dona perhennem.

HERIGER.

1. Heriger, urbis *de rimpac*
Maguntiacensis
Antistes, quendam
Vidit prophetam,
Qui ad infernum
Se dixit raptum.
2. Inde cum multas
Referret causas,
Subjunxit, totum
Esse infernum
Accinctum densis
Undique silvis.